

EPISTULA LEONINA

XCV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XCIV) INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM QUINTAM (95) !

ARGUMENTA

1. Ἀνεροίφθω κύβος - Alea iacta esto!	03
2. Fabula Grimmiana: De ave aureâ	04
3. Ecce libri Leonis Latini	15
4. Sacerdotes libero ore loquentes (IV)	16
5. Narratio Italica a Paulo Kangiser Latinê reddita	26
6. Echus voces	32

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam nonagesimam quintam. A **Gaio Iulio Caesare** incipiamus Rubiconem transgressuro; Plutarchus nos docet Galliae expugnatorem verba illa de aleâ iactâ illustrissima fecisse sermone Graeco, non Latino! Idem dicendum est de Caesaris verbis ultimis: Non enim îdem vir Romanus moriturus latinê dixit “Et tu, mi fili Brute” (sunt verba Shakespeariana), sed graecê καὶ σὺ τέκνον; si quidem graviter vulneratus adhuc loqui potuit¹. - Pulcherrimam **fabellam Grimmianam** legas imagunculis ornatam multicoloribus: **De ave aureâ**. Personam praecipuam gerit vulpes quaedam magica...- **Olaus Latzel** pastor animarum Bremensis fortissimus hac in Epistulâ ultimum loquitur; mox alius loquetur sacerdos ore libero. - **Paulus Kangiser** philologus Chiliensis Iacobopolitanus (Santiago de Chile) vobis in Latinum convertit narrationem poetae Itali bellicam, cui nomen est **Edmondo de Amicis**; quam narrationem, cara Lectrix, care Lector, tibi valdê commendo: tolle lege mirare!*

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

d. Saturni, d. 5. m.Mart. a.2016

¹ cfr SÜETONIUS Vita Divi Iulii 82,2 Atque ita tribus et viginti plagis confossus est uno modo ad primum ictum gemitu sine voce edito, etsi tradiderunt quidam Marco Bruto irruenti dixisse: καὶ σὺ τέκνον;



ΑΝΕΡΡΙΦΘΩ ΚΥΒΟΣ ΑΛΕΑ ΙΑΚΤΑ ΕΣΤΟ

GAIUS IULIUS CAESAR

(100-44 a.Chr.n.)

Imago a **Bartolomeo Pinelli** (1781–1835) delineata.

PLUTARCHUS, *Vita Caesaris* 32,7 sq. [7] [...] πολλά δὲ καὶ τῶν φίλων τοῖς παροῦσιν, ὧν ἦν καὶ Πολλίων Ἀσίνιος, συνδηπόρησεν, ἀναλογιζόμενος ἡλικῶν κακῶν ἄρξει πᾶσιν ἀνθρώποις ἢ διάβασις, ὅσον τε λόγον αὐτῆς τοῖς αὐθις ἀπολείψουσι. [8] τέλος δὲ μετὰ θυμοῦ τινος ὥσπερ ἀφείς ἑαυτὸν ἐκ τοῦ λογισμοῦ πρὸς τὸ μέλλον, καὶ τοῦτο δὴ τὸ κοινὸν τοῖς εἰς τύχας ἐμβαίνουσιν ἀπόρους καὶ τόλμας προοίμιον ὑπειπὼν „ἀνερρίφθω κύβος“ ὥρμησε πρὸς τὴν διάβασιν“ cfr id. *Vita Pompeii* cap.60 Ἑλληνιστὶ πρὸς τοὺς παρόντας ἐκβοήσας „ἀνερρίφθω κύβος“ διεβίβαζε τὸν στρατόν.

Vilelmus Xylander haec verba Caesaris Graeca a.1567 Latinè reddidit verbis quae sunt: ***Alea iacta esto.***

FABELLA GRIMMIANA: De ave aureâ



Aliquando fuit rex, qui habuit pulchrum viridarium post castellum situm, cui infuit arbor quaedam mâla aurea ferens. Mâla maturescentia sunt numerata, sed postridie unum iam defuit. Rex certior factus iussit omni nocte sub arbore fieri vigilias. Rêgi fuerunt tres filiii, quorum maximum nocte ingruente misit in viridarium; mediâ autem nocte îdem non potuit quin obdormisceret, et postridie iterum defuit mâlum. Nocte sequente alteri filio fuit vigilandum, sed ei res non melius successit; horâ duodecimâ transactâ is obdormivit et mâne defuit mâlum. Nunc ordo vigilandi vocavit filium tertium; îdem paratus erat, sed rex ei parum confidens sensit eundem minus assecuturum esse quam fratres suos; denique tamen ei permisit, ut vigilaret. Ergo iuvenis arbori suppositus vigilabat studens, ne obdormisceret. Duodecimâ horâ transactâ iuvenis audivit aliquid per aëra sonans, luce lunae vidit avem volantem, cuius pennae omnes auro fulgebant. Avis autem cum in arbore consedisset, modo mâlum rostro decerpserat, cum in eandem iuvenis iaculatus est sagittam. Avis evolavit, sed sagittâ pennae eius ita perstrictae sunt, ut una e pennis aureis decideret. Quam iuvenis sustulit, postridie rêgi apportavit eique narravit, quid nocte vidisset. Rex autem consiliarios iussit congregari, et omnis illorum dixit talem pennam toto regno esse pretiosorem. Rex »Haec penna«, inquit, »si tam pretiosa est, haec sôla mihi non prodest, sed volo et debeo accipere avem totam.«

Filius natu maximus profectus prudentiâ suâ confidens putavit se avem auream certê inventuram esse.



Aliquatenus progressus, cum vulpem conspexisset in margine silvae sedentem, sclopeto mâlae admoto in illam collineavit. At vulpes vocavit: »Noli in me iaculari, dabo tibi consilium bonum. Profectus ad avem auream inveniendam hodie vespere venies in vicum, ubi stant duae cauponae altera ex adverso alterius sita. Altera est lucidissimê illuminata, et in eâ homine laetê se habent; at noli ire in eam, sed i in alteram, etiamsi ea tibi minus placuerit.« »Ista bestia insipida quodnam mihi dare sciat consilium conducibile!« filius rês cogitans denuo profectus est, sed omisit vulpem, quae caudâ erectâ celeriter in silvam cucurrit.



Deinde itinere perrecto iuvenis vespere advênit cauponam, ubi stabant ambae illae cauponae; in alterâ autem cantabatur atque saltabatur, altera aspectu erat tristi atque egeno. Iuvenis »Ineptus essem,« cogitavit, »si irem in cauponam illam miseram et pulchram hanc relinquerem«.

Ergo devertit in cauponam laetam, ibique helluabatur avem illam patremque suum omniaque praecepta bona oblītus.




Tempore transacto, cum filius natus maximus nequaquam domum venisset, filius alter profectus est avem auream quaesiturus. Ut iam in filium maximum, in hunc quoque incidit vulpes eidemque consilium dedit bonum, quod ille neglexit. Iuvenis venit ad ambas illas cauponas, ubi frater eius stans ad fenestram alterius, ex qua iubilabatur, eum appellavit. Frater minor quoque non potuit resistere, cauponam iniit et voluptatibus se tradidit.



Iterum tempus transactum est, deinde filius rēgis minimus cupivit proficisci temptaturus, an res sibi feliciter succederet, sed pater hoc noluit permittere. »Istud fiet frustra,« inquit, »iste etiam minus inveniet avem auream quam fratres eius, et si quid mali ei acciderit, nesciet,

quomodo se servet, nam deest isti indoles satis bona«. At tandem iuvenis, cum rogare non desineret, a patre dimissus est. Ante silvam iterum sedens vulpes rogavit, ut vitae suae parceretur, et dedit consilium bonum. Iuvenis autem, ut erat clemens: »Sis tranquillus« inquit, »vulpecula, nihil tibi mali faciam«. Vulpes respondit: »Huius clementiae te non paenitebit; ut celerius promovearis, ascende caudae meae partem posteriorem«. Iuvenis autem vix cum consedisset, vulpes coepit currere per dumeta et aspreta, tam rapidê, ut capilli sibilarent vento agitati. Iuvenis vicum assecutus descendit consilium bonum consequens devertit in cauponam modicam, ubi pernoctavit quietê. Postridie mâne, cum in campum veniret, ibi vulpes iam sedens: »Dicam tibi« inquit »quid facere debeas. Vade semper in directum, usque dum venias ad castellum, ante quod iacebit caterva militum, sed noli illos curare, nam omnes dormientes ronchabunt¹; vade per illos medium in castellum, et vade per omnia conclavia, denique venies in cellam, ubi avis aurea pendeat in caveâ ligneâ. Iuxta eam decoris causâ stabit vacua cavea aurea, sed cave, ne avem ex caveâ modicâ sumptam indas decorae, nam alioquin res tibi male evadet«.



His verbis dictis filius rēgis in caudâ vulpis erectâ consedit; deinde vulpes coepit currere per dumeta et aspreta, tam rapidê, ut capilli sibilarent vento agitati. Iuvenis cum castellum advenisset, omnia invēnit talia qualia ibi esse vulpes dixerat. Filius rēgis vēnit in cellam, ubi avis aurea in caveâ ligneâ sedebat, aureaque cavea iuxta illam stabat; tria autem mâla aurea circumcirca in cellâ iacebant. Tum iuvenis cogitavit futurum fuisse ridiculum, si pulchram avem imponeret caveae vulgarem foedamque,

¹ roncho, -are i.q. stertere. SIDON.epist.1,6,3.

foriculam lignae caveae aperuit, avem correptam aureae imposuit. At hōc momento temporis avis edidit clamorem perterricrepum. Milites expergefacti raptim ingruerunt iuvenemque in custodiam abduxerunt. Postridie mâne îdem causam dixit et omnia confessus capitis damnatus est. At rex dixit se iuveni vitam donaturum esse eâ condicione, ut ille sibi afferret equum aureum, qui curreret vento celerius, et si iuvenis hoc fecisset, mercedem accepturum esse avem auream.



Filius rēgis profectus gemit et tristis fuit, nam ubinam inveniret equum aureum? Tum subito vidit vulpem, veterem suum amicum, iuxta viam sedentem. Vulpes: »Viden?« inquit »Sic factum est, quia mihi non obsecutus es. At bono animo es, te adiuvabo tibi que dicam, quomodo venias ad equum aureum. Eas viâ rectâ, deinde venies ad castellum, ubi equus ille stat in stabulo. Ante stabulum iacebunt agasones, sed dormient et ronchabunt, itaque ne cesses equum aureum educere. At unum oportet cures, equo imponas sellam malam e ligno corioque confectum; cave, ne imponas aureum, alioquin res male tibi evadet«. Deinde filius rēgis in caudâ vulpis erectâ consedit; deinde vulpes coepit currere per dumeta et aspreta, tam rapidê, ut capilli sibilarent vento agitati. Omnia ita facta sunt, ut vulpes praedixerat; iuvenis in stabulum volavit, ubi stabat equus aureus: ei autem sellam malam impositurus cogitavit haec: »Animali tam pulchro nisi sellam bonam, quae eum decet, imposuero, foedabitur.« At equus vix tactus erat sellâ aureâ, iam coepit vehementer hinnire. Tum agasones excitati iuvenem comprehensum in vincula coniecerunt. Postridie mâne îdem a iudicibus capitis est damnatus, sed rex pollicitus est se illi vitam equo aureo addito esse donaturum, si îdem pulchram filiam rēgis e castello aureo secum adduxisset.



Animo gravato iuvenis profectus est, sed feliciter accidit, ut mox incideret in vulpem illum fidelem. Is: »lustum est« inquit »te miserum relinquere, sed cum misereat me tui, denuo te adiuvabo in miseriam adductum. Rectâ viâ venies ad castellum aureum; vespere advenies, et nocte, si omnia erant quieta, pulchra filia rēgis ad balneum ibit balneatum.



Ad illam, si introierit, prosili illamque osculare, deinde te sequetur, tu autem illam tecum abduces; dummodo ne patiaris illam antea parentibus valedicere, alioquin res tibi male evadet«.



Deinde vulpes caudam erexit, filius rēgis in eâ consedit; tum vulpes coepit currere per dumeta et aspreta, tam rapidê, ut capilli sibilarent vento agitati. Cum castellum aureum adveniret, omnia fuerunt talia, qualia esse vulpes praedixerat. Iuvenis autem mediam noctem exspectavit; cum omnes dormirent arto somno devincti pulchraque virgo iret in balneum, îdem prosiluit illique dedit osculum. Illa dixit se libenter cum eo abituram esse, sed iuveni lacrimans supplicabat, ut sibi permetteret antea parentibus valedicere. Primo iuvenis precibus virginis restitit, sed cum illa flere non desinens ad pedes eius procumberet, tandem concessit. At vix virgo prodierat ad lectum patris, is omnesque alii, qui erant in castello, experrecti sunt et iuvenis comprehensus in vincula est coniectus.



Postridie mâne rex ei dixit: »Vita tua est perdita veniaque tibi non dabitur nisi montem sustuleris fenestris meis praepositum, trans quem spectare non possum, idque necesse est perficias intra octo dies. Si hoc tibi contigerit, mercedem habeas filiam meam«. Filius rēgis laborare coepit, fodere vatilloque tollere non desinebat, sed septem diebus transactis cum videret, se perpauca perfecisse omnesque labores suos nihil ferê effecisse, incidit in magnam tristitiam totamque spem abiecit. Vespere autem diei septimi apparuit vulpes et: »Haud meritus es«, inquit, »a me

adiuvari, tamen licet abeas dormitum, ego opus faciam loco tuo«. Postridie mâne, cum experrectus aspectaret fenestram, mons erat ablatus. Iuvenis gaudio completus ad regem properavit eique nuntiavit condicionem esse completam; rex sive noluit sive voluit, oportuit, ut promisso staret iuvenique filiam daret in matrimonium ducendam.



Nunc ambo unâ profecti sunt, nec mora, vulpes fidelis ad eos vênit. Qui: »Habes quidem,« inquit, »optimum, sed oportet virgini e castello aureo oriundae addatur equus aureus«. Tum iuvenis rogavit: »Quomodo hunc accipiam?« Vulpes respondit: »Hoc tibi dicam. Primo pulchram virginem adduc ad regem, qui te ad castellum aureum misit. Deinde gaudium erit inexauditum, illi libenter tibi dabunt equum aureum tibi que monstrabunt. Mox ascendas omnibusque manum porrigere valedictum, postremo virgini pulchrae, et, si eam comprehenderis, uno impetu in equum attrahe raptimque proficiscere, nec ullus te assequetur, nam equus curret vento celerius«.

Omnibus rebus feliciter perfectis filius régis pulchram virginem equo aureo insidentem abduxit. Vulpes autem non remanens iuveni dixit haec: »Nunc te sic quoque adiuvabo, ut accipias avem auream. Si castello appropinquaveris, ubi avis aurea versatur, sine virginem ex equo descendere, ut ego eam obtegam. Deinde equo aureo vehere in aulam castelli; quo aspecto illi valdê gaudebunt tibi que avem auream efferent. Ubi primum caveam comprehenderis, raptim redi ad nos, ut virginem tecum abducas«.



Facinore feliciter perfecto filius rēgis cum thesauris suis erat domum equitaturus, cum vulpes: »Nunc« inquit »a me cum sis adiutus, oportet mercedem mihi des«. »Quid postulas?« iuvenis interrogavit. Vulpes: »Si illam silvam advenerimus«, inquit, »interfice me scopeto mihiq̄ue abscide caput pedesque«. Filius rēgis: »Miras« inquit »tibi agerem gratias, si hoc facerem. Nullo modo mihi licet hoc facere«. Tum vulpes dixit: »Nisi hoc facere volueris, necesse est, ut te relinquam; antequam abibo, velim tibi dare bonum consilium. Duas res caveto: Noli emere carnem patibuli², noli considerare in margine putei«. His dictis in silvam cucurrit.

Iuvenis autem cogitavit: »En mirum animal insolita cupiens. Quisnam emat carnem patibuli! Neque equidem umquam cupivi considerare in margine putei«. Equitare perrexit cum pulchrâ virgine iterumque iter fecit per vicum illum, in quo remanserant ambo fratres eius. Ibi autem magnus erat tumultus et strepitus; cum rogasset, quid fieret, homines ei dixerunt duos homines laqueis suspensum iri. Cum appropinquasset, vidit illos homines esse fratres suos, qui variis facinoribus commissis profudissent totam suam possessionem. Quaesivit, num illi possent redimi. Homines responderunt: »Si tu pro istis pecuniam solves, redimes; quidnam vis pecuniam tuam profundere pro istis furciferis?« At iuvenis perseveravit in incepto suo, pro illis pecuniam solvit, et illis dimissis tres fratres unâ iter perrexerunt.

² orig. *Galgenfleisch*; angl. *gallows-meat*



lidem venerunt in silvam, ubi in vulpem primo inciderant, et quia in eâdem frigus erat amabile, sed extra silvam sol fervidê ardebat, ambo fratres dixerunt: »Apud hunc puteum paululum requiescamus, comedamus, bibamus«. Iuvenis assensus est interque colloquium sui immemor in margine putei consedit nil mali suspicans. At ambo fratres hunc retroversum puteo iniecerunt, virgine, equo, aveque comprehensis domum ad patrem reverterunt dicentes: »En apportamus non solum avem auream, sed praedati sumus etiam equum aureum virginemque castelli aurei«. Tum magnum fuit gaudium, sed equus nihil comedit, avis non sibilavit, virgo autem sedens lacrimabat. At frater minimus non perierat. Nam cum puteus esset siccus, feliciter acciderat, ut iuvenis musco molli incidens nihil detrimenti faceret. Sed non potuit exire. Istis quoque in angustiis non est relictus a vulpe fideli; qui in puteum desiluit iuvenemque vituperavit, quod oblîtus esset consilii sui. Vulpes autem: »Tamen«, inquit, »nolo te deserere, efficiam, ut redeas ad lumen diurnum«. Iuveni dixit, ut caudam suam comprehensam firmê teneret, eumque sursum traxit. Vulpes: »Nondum«, inquit, es extra periculum, nam fratres mortis tuae incerti silvam circumdederunt custodibus, quos iusserunt te necare, si vidissent«. Tum vir pauper sedit iuxta viam, cuius vestimenta iuvenis permutavit propriis, ut veniret in aulam regiam incognitus. Nemo iuvenem cognovit, sed avis coepit sibilare, equus comedere, et pulchra virgo desiit lacrimare. Rex stupefactus rogavit: »Quid hoc sibi vult?« Tum virgo: »Nescio«, inquit, sed tristissima cum essem, nunc sum laetissima. Mihi videtur venisse sponsus meus verus«. Deinde virgo iuveni omnia narravit, quae facta erant, quamvis alii fratres mortem sibi minati essent, si quid esset proditura. Rex autem iussit omnes homines ad se accedere, qui in castello suo erant; tum iuvenis quoque, qui pannis indutus aspectu erat senili, sed virgo eum statim recognoscens amplexa est. Itaque fratres impii comprehensi sunt et

supplicio affecti, iuvenis autem cum pulchrâ virgine connubio coniunctus heres rēgis factus est.

At quid factum est miserae vulpi? Diu post aliquando filius rēgis ibat in silvam, cum incidit in vulpem, quae dixit: »Tu nunc habes omnia optabilia, at miseria mea numquam finietur nisi tu, qua es potestate, me redemeris«, iterumque iuvenem imploravit, ut se sclopeto necaret caputque pedesque decideret. Itaque iuvenis haec fecit, et vix haec facta erant, vulpes mutata est in hominem, qui fuit nemo nisi frater pulchrae filiae rēgis, qui tandem solutus est a vinculo magico, quo erat fixus. Nunc autem iis hominibus nihil defuit beatitudinis, dum erant victuri.

* * *



HANC FABELLAM GRIMMIANAM, C.T.

Der goldene Vogel

IN LATINUM CONVERTIT

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hâc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

SACERDOTES LIBERO ORE LOQUENTES (IV)

Duo defensores Olai Latzel Pastoris Bremensis

1. Dr. Martinus Korol de Pastore Latzel quid sentiat.

https://www.youtube.com/watch?v=o8_XKHNxtzs



Dr. Martinus Korol Bremensis, qui est partis politicae, quae appellatur »Cives irati«¹

PETITITIO QUOAD HOMILIAM PASTORIS OLAI LATZEL

Praeses maxime honorabilis, Dominae Dominique,

d.18. m.Ian. a.2015 Pastor Olaus Latzel in Ecclesiâ Sancti Martini Evangelicâ mediâ in urbe Bremâ sitâ de quodam textu Veteris Testamenti homiliam habuit, cuius titulus fuit »*E Gedeone nos discere posse, quomodo nos purificemus a deis alienis*«. Haec homilia vocata est in controversiam publicam. Nunc nobis petitio Partis Politicae Sinistrae² proposita est ad hanc homiliam spectans – quam petitionem modo audivimus – eius titulus est: »Brema est multicolor – adversamur homiliis odii et discriminationi ex ambone praedicatae«. Nos Cives irati item petitionem proposuimus ad eandem rem spectantem. Quae inscribitur: »Lex fundamentalis est observanda – libertas fidei confessionisque est respicienda«. En argumentum eius: »Civitas

¹ Cives Irati, i.e. »Bürger in Wut«.

² Pars Politica Sinistra, i.e. Partei "Die Linke"

Bremensis declarat: Nos confitemur comprobare libertatem fidei et conscientiae et confessionis religiosae vel philosophicae, quae praestatur legis fundamentalis articulo quarto«.

Speraveram Partem Sinistram assensuram esse ambarum petitionum coniunctioni. Dolemus quod illa hoc non fecit. De qua re agitur in petitione Partis Sinistrae? Ut dicam breviter: Qua petitione postulatur, ut Brema adversetur homiliis instigatoriis cuiusvis confessionis. Ut civitas Bremensis – sic dicitur in petitione – reprobet omnes, qui sub praetextu praedicandi et scripturam interpretandi conentur odium diffundere adversus homines fidei alius nulliusve. Nos Cives Irati de hac re non aliter sentimus. Postquam haec postulavit verbis sublimibus, Pars Sinistra loquitur dilucidius. Nunc invehitur in homiliam Pastoris Latzelii supra commemoratam. Oportere, ut îdem sacerdos propter illam puniatur. Nos hoc negamus. Nobis haec homilia Pastoris Latzelii non videtur esse instigatio, sed oratio verê digna tractatu. Quaedam verba insigniter vituperata a Latzelio interim revocata sunt. Nos Cives Irati permittimus arbitrio pastoris et ecclesiae et christifidelium, quid ex hac re concludant. Nos reprobamus quod politici sub praetextu homiliae scripturaeque adroganter interpretandae quoquomodo conantur instigare in sacerdotes cuiusvis religionis. Hoc enim nobis facere videntur Sinistri petitione suâ necnon eo, quod efficiunt discordiam cooperatorum Bremensis Ecclesiae Evangelicae. ... In memoriam revoco: Primum Veteris Testamenti praeceptum est hoc: **Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos coram me** (VULG. Ex. 20, 2-3).

Unaquaeque mundana religio monotheistica, id est fides Iudaeica et christiana et islamica, contendit se solam docere veritatem divinam. Idea tolerantiae aetate illuminismi sive rationalismi excogitata non intellegitur nisi hîc sensu. Nathan ille Lessingianus non exhibet ideam omnino novam nisi hîc sensu. Itaque confessionum dialogus atque cooperatio, quae appellatur »oecumene«, non fit nisi labore duro. Nihil nisi hoc dicitur a Pastore Latzelio. In periodico, quod inscribitur "*Junge Freiheit*", d.30. m.Ian. a.2014 eiusdem pastoris afferuntur verba haec quae sequuntur: »Unus tantum est Deus verus. Nobis non licet aliquid cum Islamo communicare. Hoc est peccatum, hoc fieri non licet, ab ista re debemus nos purificare. Islamus non spectat ad Germaniam«.

Procul dubio talia verba sunt gravissima. Hodie raro fit, ut talia verba ex ambone dicantur. At cum sint rara, non sunt a priori falsa. Tamen *Jeannette Querfurth* locutrix ecclesiae haec verba Latzeliana vituperans dixit eadem non convenire cum fide evangelicâ. Illa: »Hic« inquit »praedicatur odium. Categoria caritatis prodest, sed non prodest categoria odii«. At nos sumus multicolores. Homilia Latzelii est una

macula coloris inter multas. Bremenses controversiam habent de quadam homiliâ. Hoc, quantum scio, ultimum factum est illo tempore, quo *Iohannes Leppich* pater Iesuita homilias habebat non solum in ecclesiis, sed etiam in plateis et in areis circensibus. Equidem illum vidi ante Ecclesiam Sancti Iohannis – nam ipsa ecclesia hominibus completa erat. Is praedicator nudius tertius emissione catholicae stationis radiophonicae descriptus est. In fasciculo programmatis de illo haec leguntur: Verba increpatoria, quae sunt abderitae christiani³ et caeciliae religiosae⁴, in comparatione aliorum, quibus Pater Leppich annis quinquagenariis atque sexagenariis utebatur, fuerunt moderatissima. Pater Leppich praedicatorum fuit celebratissimus, cum res ei succederet felicissimè. Idem computatur illo tempore habuisse quindecim miliones auditorum«. Etiam de Pastore Latzel culpato licet dicere ea, quae statio radiophonica *Domradio* scripsit de Patre Leppich: »Qui populo bibliam interpretabatur et, ut erat eius mos, populi animo mentique mandabat«. – “Evangelium quidem non est medicamentum dormitivum, sed dynamites” – hoc erat eius symbolum praestantissimum. Pater Leppich dicebat se pugnare, ne in ecclesiâ abundarent animae lucripetae⁵. – Haec hactenus verba illius *Domradio* de Patre Leppich dicta. Talem personam nobis gerere videtur etiam Pastor Latzel. Itaque nos Cives Irati petitionem Partis Sinistrae recusamus. Nam eadem petitio nobis videtur nimis intolerans nimisque exaggerata. Detrimenta collateralia, quae eadem efficiuntur, sunt nimis magna. Gratias multas vobis ago, quod attendistis.



**Pater Iohannes Leppich SJ
(1915-1992)**

³ orig. *christliche Etappenspießer*.

⁴ orig. *religiöse Blindschleichen*.

⁵ orig. *eine Kirche der Krämerseelen*.



Ecce *Johannes Leppich* Pater Iesuita d.19. m.Iun. a.1968 ante Fuldensem ecclesiam cathedralem loquens de »Ecclesiâ unitâ evangelico-catholicâ«. Qui sacerdos, cui supernomen erat »Polyboli Dei« (*Maschinengewehr Gottes*), per annos quinquagenarios homiliis suis, quas habebat coram populo in viis publicis, factus est maximê popularis.

**MARTINI KOROL BREMENIS CIVIS IRATI PETITIO
QUOAD PASTOREM OLAUM LATZEL FACTA
IN LATINUM CONVERTIT**

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

2. AMERICANI QUID TELEVISIFICĒ DE PASTORE LATZEL NUNTIAYERINT (CBN NEWS).

<https://www.youtube.com/watch?v=cSRluEolXe0>

Hic est pastor, qui scit causam esse fortiter confitendi, praesertim in Germaniâ hodiernâ, ubi is, qui perseverat in bibliâ sine compromisso affirmandâ, a multis dicitur esse vaniloquus, exosus, immo non christianus. Pastor *Olaus Latzel* offensus est a diurnariis, in eum est ab actore publico inquisitum, immo îdem a sacerdotibus confratribus est condemnatus. Ecce scelus ei obiectum: Qui recusavit, ne concederet politicae rectitudini¹.

»Ego nihil facio nisi praedico evangelium ratione clarâ. Hoc est officium meum, sic praedicare, Domini nostri gratiâ«. –

Latzelius homilias habens utitur neque fucio neque ambagibus. Quibusdam licet videatur is loqui sermone nimis aspero offendens alias religiones, sed Latzelius adversatur ei animorum inclinationi, quam dicit spiritum compromissi, quo putat Germaniam ecclesiamque Germaniae publicam esse affectam. Quod attinet ad hanc rem, Latzelius irascitur Germanis valentioribus necnon multis pastoribus. Finge animo pastorem animarum omne compromissum recusantem, quod spectat ad Deum, officio fungentem in europaeâ natione, quae praedita sit summâ politicâ rectitudine – habebis procellam perfectam. Latzelius: »In Germaniâ« inquit »hodie agitur controversia, quisnam Deus sit«. –

»Illi dicunt: “Allah et noster Deus, Deus christianus, Iesus Christus – sunt îdem deus”. At si muslimo dixeris: “Deo tuo estne filius?”, ille dicet: “Non est!” Si voce magnâ atque clarâ elocutus eris bibliam esse veram, unicam esse viam, qua in caelum veniamus, id est Iesum Christum, et esse unum tantum Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, praeterque eum alium deum esse nullum, si haec elocutus eris, tibi erit problema – non solum hodie in Germaniâ«. –

Hôc anno septuaginta pastores animarum Germani congregati sunt Latzelium publicê vituperantes toechocollemate sublato, quo praedicabant *diversitatem*. Actor publicus in eum inquisivit de sermone demagogico, deinde suspicione absolvit. Parlamentum autem Bremense resolutionem, i.e. consilium cepit in Latzelium. Inde ex altero bello mundano primo factum est, ut a parlamento germanico condemnaretur pastor animarum. At Latzelius nequaquam obsequens dicit veram

¹ orig. *political correctness*.

difficultatem sibi videri inde exortum esse, quod plerique pastores germanicae ecclesiae publicae non essent ex animo fideles². –

»Puto octogenas ferê centesimas pastorum germanicae ecclesiae nationalis non esse ex animo fideles. Et hanc esse difficultatem maximam. Hac de causâ illi doctrinam sibi faciunt propriam. At biblia est verbum Dei, est lex nostra, de capitulo ad capitulum, de libro ad librum, de sententiâ ad sententiam, de litterâ ad litteram«. –

Latzelius officio suo pastoralis fungitur in vetere ecclesiâ Sancti Martini Bremensi, ubi circiter annum 1679 *Ioachim Neander* ecclesiae pastor scripsit magnum hymnum, cui nomen est »Lauda, anima mea dilecta, Dominum regem honorum potentem«³. Latzelius libenter dicit pastorem Neandrum quoque in difficultatem adductum esse, quod evangelium praedicaret quadam cum audaciâ. Nonnullos pastores vires defecissent, si tot impetûs passi essent. At Latzelius, cuius maiores multi fuerint milites, dicit se inesse bello, quod fiat inter Deum et diabolum, et impetibus animum suum confirmari.

»Cum homilias habens incidis in difficultates, cognoscas te ire viâ rectâ. Si evangelium Iesu Christi praedicas et omnisquisque tibi applaudit, difficultate es implicatus, quia, si tu veritatem enarraveris biblicam, diabolus veniet contraque te pugnabit variis modis – et hoc non evitabis. Iste enim vult pugnare contra mundum Dei.« – Reverâ Latzelius dicit se non sollicitari, ne spem amittat, sed ne superbiat. – »Accepi plus decem milia epistoliorum electronicorum. Permulti homines venerunt ad me et dixerunt: “Tu es pastor magnus. Et quo plures homines veniunt mihi hoc dicunt, in ipso animo meo aliquid mihi dicit “Oh reverâ ego sum pastor magnus!” – Et diabolus huc advenit et dicit: “Ita, ita est, tu es deus.” – et hoc non est bonum. Ego sum nihil. Ego nihil sum nisi peccator. Nihil sum nisi instrumentum Dei. Et si Iesus scit ûti hîc instrumento, omnem honorem tribuite Iesu Christo. Equidem sum nihil«.

Magnus hymnus huius ecclesiae dicit: »Is est lux tua, anima, ne hoc obliviscaris, laudans conclude dicens ‘Amen’«⁴. Latzelius credit factum iri renovationem, et precatur christianos, ut orent pro Germaniâ. –

² orig. not reborn, not born again, i.e. verbatim ‘non renati’, i.e. sensu christiano: quamvis baptizati sint, tamen veritatem fidei non verê assecuti sunt.

³ Joachim Neander (1650-1680): Lobe den Herren, den mächtigen König der Ehren, meine geliebete Seele, das ist mein Begehren. Kommet zuhauf, Psalter und Harfe, wacht auf, lasset den Lobgesang hören! etc.

cfr https://de.wikipedia.org/wiki/Lobe_den_Herren,_den_m%C3%A4chtigen_K%C3%B6nig_der_Ehren

⁴ Er ist dein Licht, Seele, vergiss es ja nicht. Lobende, schließe mit Amen!

cfr https://de.wikipedia.org/wiki/Lobe_den_Herren,_den_m%C3%A4chtigen_K%C3%B6nig_der_Ehren

»Precor vos fratres sororesque in Americâ viventes, orate, quaeso, pro Germaniâ. Orate, ut fiat resuscitatio. Orate, ut verbum Iesu Christi exeat et perveniat ad homines perditos ita, ut Iesus eos servet«. –

*CBN (Christianum Retificium Radiophonicum)⁵
rettulit Bremâ ex urbe Germaniae.*

**AMERICANAM RELATIONEM TELEVISIFICAM
A CHRISTIANO RETIFICIO RADIOPHONICO (CBN) EMISSAM
QUA AGITUR DE OLAO LATZEL
PASTORE ANIMARUM BREMENSIS
IN LATINUM CONVERTIT**

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

⁵ i.e. *The Christian Broadcasting Network.*

3. Verba Olai Latzelii de hominibus *thelóbonis¹ facta



<https://www.youtube.com/watch?v=Wh-p-Gu8YvA>

In ecclesiâ hodiernâ humanisticas doctrinas hominum *thelobonorum supponi pro verbo Dei. Hoc dixit *Olaus Latzel* fine septimanae proximo praeterito *Holzminen* in oppido inter conventum evangelizationis coram sescentis ferê hominibus participibus. Communitatum praepositi interdixerant, ne hic conventus fieret in ecclesiâ. Hoc effectum erat eo, quod Olaus Latzel anno ineunte contradixerat opinionibus ecclesiae Bremensis principalibus. Spectate nunc commentarium Olai Latzel.

OLAUS LATZEL: Nostra ecclesia Germaniensis eo habet difficultatem, quod parum evangelizamus, parum eloquimur veritatem evangelii. Ecclesia localis quod declaravit se quasdam rationes bibliae graviore non iam comprobare, id est, eadem bibliam ita tantum intellegere vult, ut ad captum humanum intellegitur, id est, quod non iam clarê id

¹ homo *thelóbonus i.q. theod. *Gutmensch*. angl. politically hyper-correct, „good-mind“, do-gooder, goody two-shoes, goody-goody, starry eyed idealist. ital. buonista. - *thelo-bonus cfr thelo-sapiens, thelo-dives. cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/THELOSAPIENS>, “Qui sapiens videri vult, *θέλει*. Utitur pariter S. Augustinus Epist. 59”. AUG.epist.59: sic et vulgo dicitur, qui divitem affectat **thelodives**, et qui sapientem **thelosapiens**.

comprobat, quod est heredium nostri reformatum, quod opinatur praeter Iesum Christum inveniri alias quoque vias salutis in aliis religionibus. Huius autem opinionis rationem isti pastores ipsi debent reddere coram Deo. Haec est condicio nostrae ecclesiae germaniensis tristis atque amara.

At ne animum demittamus, sed laetê in mundum vociferemur nomen Domini nostri Iesu Christi!



HAEC VERBA

D.26. M.SEPT. A.2015

AB OLAO LATZEL

PASTORE ANIMARUM BREMENSIS


IN OPPIDO HOLZMINDEN DICTA IN LATINUM CONVERTIT

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS



NUNC TANDEM

CRABATUS LATINUS

ÊDITUS EST.

TOLLE LEGE LAETARE !



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>

Parvus Excubitor Longobardus

“La Piccola Vedetta Lombarda”

Narratio Italicê anno 1886^o scripta

ab Edmondo De Amicis (1846–1908) scripta,

a *Pablo Kangiser* in Latinum conversa



Anno 1859^o, cum bellum pro Longobardia libera gereretur, paucis diebus post Solferinam Sammartinianamque pugnam, ubi Itali atque Francogalli Austriacos superarunt, placido mane aestivo, pauci equites pedetemptim progrediebantur, attenteque agrum intuebantur; hi autem omnes, qui ab officario eiusque optione ducebantur, ultra prospiciebant; ibant taciti, oculis intentis, quo excubiarum hostilium signa per arbores interdum reperirent; deinde in aedes rusticas et non magnas et fraxinis circumventas pervenerunt, in cuius propatulo unus puer, qui duodecim fere annorum erat, ramulum cultro decorticabat ut baculus sibi fieret; in aedium fenestra magnum Italicum tribus coloribus vexillum vento extollebatur; at nemo intus erat; incolae, exposito vexillo, ob Austriacorum metum iam fugerant; puer vero, statim ut equitatum vidit, baculum reliquit et galeola caput exiit; pulcher erat puer et vultu animoso, magnis oculis caeruleis, et coma rubida longaque; manicatam camisiam, pectore conspicuo, ferebat.

“Cur hic ades?” officarius, equo frenato, rogavit; “quidni cum parentibus et familia fugisti?”.

“Neque parentes neque familiam novi” puer respondit; “orbis omnino sum; omnibus passim servio; hic mansi ut certior de bello fierem”.

“Vidistine copias forsitan Austriacas hac via transductas?”, inquit officarius.

“Non hodie; nudius quartus vidi”.

Officiarius parumper deliberavit, postea ab equo desiluit, et, militibus ad hostem iussu conversis, domum intravit et in tectum ascendit; sed domus tam humilis erat ut nihil de tecto videretur praeter exiguum arborum agrum.

“Opus est in arborem ascendere” officarius dixit et discessit; erat autem apud aream (ubi triticum olim exterebatur) altissima fraxinus, quae frondes suas ad caelum tollebat; tunc officarius, qui parumper deliberans haeserat cum et fraxinum et milites conspexit, subito puerum rogavit:

“Acresne sunt tibi oculi, vagule?”

“Mihi?”, inquit, “mihi passerulum discernere licet, etiamsi mille passus absit”.

“Possisne in eius arboris summum te attollere?” dixit officarius.

“In eius arboris summum?; post dimidiam minutam ibi ero”.

“Et me certiozem facere possis” inquit officarius “quid inde videas: an milites illac Austriaci, an ex pulvere nubes, an scopleta quae eluceant, an equi?”

“Certum est me posse”.

“Et quam mercedem tibi petis?” rogavit officarius.

“Quam mercedem?” dixit puer subridens; “nullam profecto; quid rogas! praeterea, pro istis Tedeschis nequaquam fecissem; sed aliter pro nostris! ego sum Longobardus”.

“Bene est” dixit officarius; “ascende”.

Tunc puer “expecta” inquit “dum calceis me exuam”.

Calceis igitur se exuit et cingulum constrinxit et galeolam in solum deiecit et fraxinum amplexus est.

“At cave” officarius exclamavit et manu eum detenturus erat, velut si timore commotus; puer oculos suos caeruleos et pulchros in eum convertit, quasi tacitus quaereret.

“Nihil dico” inquit, “ascende”.

Et puer felino more fraxinum ascendit.

“Ultra prospicite” officarius militibus suis imperavit.

Exiguo tempore puer arboris summum tetigit, stipitem amplexus, cruribus inter frondes abditis, reliquum autem corpus conspicuum erat caputque rubidum solis luce collustratum aurum videbatur; officarius vix eum cernebat, nam puer nunc puncto similis fuit.

“Intuere ultra et longe”, officarius clamavit.

Puer, ut eo longius videret, dextram ex arbore abstractam fronti apposuit umbriferam.

“Quid vides?” officarius rogavit.

Puer faciem in eum declinavit, et manu personatus, respondit: “duos equites solivagos in via”.

Officiarius: “quam longe a nobis?”

Puer: “quingentis passibus”.

Officiarius: “progreduuntur?”

Puer: “sistunt”.

Silentio interposito officarius rogavit: “quid amplius vides?”; “ad dextram intuere”.

Puer ad dextram intuitus est; postea dixit: “prope sepulcretum, inter arbores, aliquid elucet; forsitan scopulorum mucrones”.

Officiarius “militesne“ inquit “vides?”

“Nullos video; in segetes forsitan se abdiderunt”.

Tunc plumbea glans superna vehementer per aera sibilavit et longe post aedes evanuit.

“Descende, puer” officarius clamavit; “multa comperisti; plura nolo; veni deorsum”.

“Non timeo” puer respondit.

“Descende”, iterum officarius dixit, “quid amplius ad laevam vides?”.

Puer: “ad laevam?”

Officiarius: “ita, ad laevam!”.

Puer sinistrorsum caput advertit; et statim glans altera eo vehementius minusque superna sibilans aera scidit; puer omnis se quassavit; “malum!” exclamavit; “mecum rem habent!”; glans enim prope transierat.

“Descende!” officarius fortiter et imperiose clamavit.

“Nunc ipsum descendo” puer respondit; “arbore protegor; noli curare; sinistrorsum visne videam?”.

“Sinistrorsum!” officarius respondit; “at nunc descende”.

“Sinistrorsum”, puer clamavit, dum corpus illuc declinat, “ubi est capella, video fortasse...”; tertia glans saeva sibilavit, et statim puer cadens visus est, qui parumper stipite et frondibus retentus, dein capite prono et brachiis apertis est deiectus.

“Vae puero!” officarius accurrens exclamat.

Puer tergo terram collisit, et supinus brachiis apertis iacuit; sinistro pectore cruor fluebat; optio et duo milites tunc ab equis desiluerunt; officarius se in puerum declinans camisiam scidit: glande plumbea transactus erat pulmo sinister.

“Periit” officarius dixit; “minime, sed vivit” optio respondit; “Ah, miserum puerum, strenuum puerum!” officarius exclamavit; “macte, macte”; sed

dum loquitur et linteo vulnus premit, puer oculos demisit caputque declinavit: mortuus erat.

Officiarius palluit et puerum parumper aspexit; dein accurate, capite herbae imposito, illum collocatum reliquit, surrexit et aspiciens stetit; optio quoque et duo milites immoti aspiciebant; reliqui ad hostem spectabant.

“Miserum puerum!” officarius tristis iterum dixit; “miserum ac strenuum puerum!”.

Postea ad aedes appropinquavit et de fenestra vexillum sumpsit et pueri mortui faciem operuit; optio autem prope puerum calceos, galeolam, baculum, cultrumque reliquit; taciti parumper adhuc steterunt, deinde officarius ad optionem versus dixit: “arcerae eum imponere iubebimus: miles mortuus est et militariter sepelietur”; his verbis dictis, osculi signum manu in mortuum immisit, et clamavit: “conscendite equos”, omnesque in sellas insiluerunt et, manipulo instructo, iter perrexerunt.

Itaque paucis post horis puer mortuus a militibus honestatus est.

Ad solis occasum, Italorum primum agmen in hostem progreditur eadem via qua manipulus equestris mane transierat; bini equites ordinatim iter faciunt; praecedit enim Agmen Velitum Iaculatorum qui, paucis ante diebus, ad montem Sammartinianum, quem cruentaverant, fortissime pugnaverant; de puero mortuo iam omnes, antequam castra moverunt, audiverant.

Prope aedes rivus fluebat paulum a via distans; officarii agminis primi, cum parvum cadaver ad fraxinum collocatum et trium colorum vexillo opertum vidissent, singuli gladiis salutarunt, quorum unus se ad rivi ripam floribus plenam declinavit, et duos flores evellit quos in illum iniecit; itaque velites omnes sua vice flores evellerunt et in puerum iacentem iniecerunt.

Brevi tempore puer floribus coopertus est; milites iter pergentes eum salutabant: “o te fortem, parve Longobarde”, “tibi, puer, honor!”, “macte, rubidule!”, “tibi gloria!”, “aeterna pax!”.

Quidam officarius suum virtutis nomisma puero imposuit, alius frontem osculatus est; et flores super pedes nudos, super cruentum pectus, super caput rubidum magis magisque cadebant; itaque puer, vexillo protectus, pallido vultu in herba dormiebat, velut si salutationes - heu

miserum! - beatus audiret, quod suam pro patria Longobarda vitam dedisset.

Fabulam c.t.

La Piccola Vedetta Lombarda

**quam scripsit Edmondo De Amicis
(1846-1908)**

in Latinum vertit

**Paulus (Pablo) Kangiser
Philologus Chiliensis Iacobopolitanus
(Santiago de Chile)**

ECHUS VOCES

Radulfus (Raul) Lavalle Argentinus Bonaeropolitanus (Buenos Aires/Argentina)

Doctissime vir Nicolae,

semper lego epistulas Leoninas, etsi raro respondeo, quia paulo diligens sum. Semper scientiam tuam atque humanitatem laudo... Sed quid dicere possim de lingua Attica prisca modo vivo loquenda? Miraculum hodiernum mihi videtur, quod mens Germana omnibus hominibus donat.

Perge scribendo thesauros tuos. Salutatur te Radulfus (ab Urbe Bonaerensi, in Argentina republica).

Nicolaus Radulfo sal.pl.dic.

Care Radulfe, gratias agimus pro verbis tuis perhumaniter scriptis. Quid censes de seminario Selianitico participando? Ecce situs interretiales:

<http://www.idyllion.gr/InhaltClassG.htm>

http://www.idyllion.gr/Inhalt_Esp.htm

Tolle lege laetare! Vale pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutatur Nicolaus Groß LEO LATINUS.

Paulus (Pablo) Kangiser palaeophilologus Chiliensis Iacobopolitanus (Santiago de Chile).

D.22. m.Febr. a.2016 h.14:00 scripsit Pablo Kangiser:

Paulus Kangiser Doctori Nicolao Gross s.d.

Epistulas Leoninas ex Ephemeride menstruae excipio; sed non animadverteram tibi manuscripta posse mitti, quae, si casus sit, tacite es correcturus. Ego transtuli narratiunculam Italice conscriptam ab Edmundo de Amicis, qui saeculo XIX litteris operam dedit. Haec narratiuncula constat fere ex sex paginis, in qua agitur de puero qui pro patria sua in bello pro Italia unificanda periiit. Si vis, eam tibi mittam, quam si tibi videbitur edere possis.

Per Melissam iamdiu acceperam Fragrantiam et Baronem Mynchusanum, quae opera libens perlegi. Cura ut valeas.

Nicolaus Paulo sal.pl.dic.

Care Paule, gratias ago pro epistolio tuo. Gaudeo te legere Epistulas Leoninas necnon legisse Fragrantiam et Mynchusanum. Mittas mihi narratiunculam Latine redditam. Libenter legam. Si mihi placuerit, in Epistula Leonina publicabo. Sed rogo te, ut patienter exspectes. Vale pancratice, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur Nicolaus Groß LEO LATINUS. 2016-02-23 10:55 GMT-03:00 SPQR <SPQR@leolatinus.com>:

Care Paule, accepi narratiunculam a te latine reddita. Gratias tibi ago. Occasione data eam publicabo. Vale pancratice. Medullitus te salutatur. Nicolaus Groß LEO LATINUS.

26.02.2016. h.22.31

Paulus Nicolao s.d.

Gratias tibi ago pro epistula Leonina XCIV nuper accepta. Ibi legi de Maximiliano Mangold, linguarum peritissimo. Utinam multi possimus litteris adeo operam dare ut plus quam viginti sciremus. Homo vere mirandus cui nunc sit iuxta pax.

Vale

Die 28/02/2016 22:00, Nicolaus Gross, Gross@Leolatinus.com scripsit:

Nicolaus Melissurgis sal.pl.dic.

S.V.B.E.E.V.

Accepi Melissam, vosne accepistis Epistulam Leoninam 94?

Gravia sane argumenta affers, care Gai, ad nationalismi praevalentiam superandam. Tamen hac in tempestate rerum, quae saevit in nostra Europa, puto vires, quae habere possit natio ad homines, non omnes esse nocentes. Desidero quidem Europaeorum concordiam, sed respuo destructionem cultuum civilium nationalium. Certe nationalismus, praesertim Germaniae, saeculo praeterito fataliter vehementerque hominibus nocuit. At nequaquam negandum est omni homini varias partes identitatis esse, familiae, amicorum, regionis, terrae, nationis... Si Europaei revera essent memores communis historiae communiumque radicum cultus civilis, certe etiam Europa esset pars identitatis eorum altior. Sed quot Europaei iuvenes sunt, qui historiam Europae vere noverint? Perpauci. In scholis historia raro doceri solet et superficialiter. ... Sed de hac re gravissima plura dicamus fortasse alia occasione...

P.3sqq. Melissae Samius Jansson mira refert de vita pauperum Keniae; idem stupenda experimenta fecit vitam pauperum sciscitans (videtur neque timuisse praedones neque morbos). Mea interest de Samiano neologismo disputare: Ad verbum anglicum "slum" Latine reddendum Ipse affert nomen neograecum, q.e. "ptochogitonia", sed ipse verbum neolatinum proponit, q.e. "plethogitonia". Neograeco verbo inest vis paupertatis, quae non inest nomini neolatino (plethos est turba, multitudo, vulgus); quare Samius non imitatus est exemplum neograecum?

Haec hactenus, mox fortasse plura. Nicolaus.

Gaius Nicolao s.p.d.

Grate accepimus Leoninam Epistulam tuam, quae exemplum locupletis necnon vivae Latinitatis lectoribus praebet. Oratio lugubris in memoriam Maximiliani Mangold prolata, quam in Latinum vertisti, mihi multum placuit; pauca sciebam de illo doctissimo viro, qui manifesto maluit permultas linguas discere et innumerabiles libros emere, quam uxorem ducere. Eum semel tantum conveni, cum acroasin de pronuntiatu Latino Saraviponti fecit; paululum cum eo tum collocuti sumus et nobis monstrare voluit suam linguae Francogallicae scientiam; optime enim loquebatur necnon... cum accentu Parisino. Franciscam autem Saraviponti olim aliquot dies morantem saepius accepit in grapheo suo deque rebus phoneticis docuit.

Argumentis meis de Europa artius confoederanda non omnino consentis et tua argumenta ffers. Non agitur de destructione cultuum nostrarum diversarum nationum, sed nolimus oblivisci has nationes, quales nunc sunt, in oblivionem relegavisse cultus suarum partium. Hae enim nationes, ut ad hodiernam magnitudinem pervenirent, complures partes, quibus quoque erat cultus, in unum coegerunt, eisque sermonem \mathcal{E} nationalem¹ imposuerunt; cogita de Francogallia, Italia, Germania, Hispania...

Nostrae nationes eo creverunt, quod incrementum decursu temporum necessarium factum erat ad validam potestatem adipiscendam. Tempora vero mutantur; nunc ad validam potestatem adipiscendam tendere oportet ad maiorem magnitudinem, qua Europa aemulari valeat Americanos, Russos, Sinenses; necessitas eo maior est quod \mathcal{E} mundializatione¹ artior fit Terra.

Unio Europaea iam multum civibus profuit, sed illi hoc plerumque ignorant, cum nemo eos doceat. Unio tamen est imperfecta. Recens discrimen rei nummariae demonstravit ecessitatem regularum in Unione assimilandarum. Singulae nationes adhuc habent suum proprium

exercitum; multo minus constaret et magis efficax esset exercitus Europaeus; hoc iam anno 1954 propositum est, sed a Francogallia non acceptum, coniunctis suffragiis Gaullistarum et communistarum.

In rebus externis tractandis lamentabile est Unionis nationes habere diversas opiniones, unde impotentia in mundi scaena. Etiam ad gravissimam crisin migrantium tractandam una vox, una voluntas maius habet pondus.

At tibi plane assentior cum dicis historiam in scholis nunc vix doceri. Insuper traditae linguae nostri cultus civilis (Latinae scilicet) neglectus hodiernos iuvenes facit quasi orphanos; nesciunt qui sint et suum communem cultum ignorant; tempus inane terunt ludentes his mirificis instrumentis, quae scientia continuo gignit; sed solum sunt instrumenta, quae habenda sunt ut nostri servi, non domini nostri.

Quid commune habent Germani, Francogalli et alii, nisi nostrum traditum vinculum culturale? Nonne videmur, tu egoque, ad communem nationem pertinere, cum inter nos Latine communicamus?

Sat de his magni momenti. Si ipse vis Samium Jansson interrogare, haec est eius inscriptio electronica: sajuja@utu.fi

Occasione annuae Academiae sessionis Theodericus Sacré, Vicepraeses, conventiculum instituere solet, ubi nonnullae acroases proferuntur de aliquo themate proposito; placet Theoderico quotannis novos oratores accipere. Hoc anno argumentum est *ŒDe litteris utopicis*¹. Quin tu venias ad acroasin certe optimam faciendam? Conventiculum patet omnibus qui linguam Latinam bene callent. Hoc autem anno tibi fortasse sero est, cum sessio habeatur ineunte mense Maio; sed ipse videas (de his plura hic: www.academialatinitatifoendae.org).

Cura ut valeas.

Otfried Preußler
Crabatus



Hic liber habet 363 paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 21 paginas. Liber constat 49,00 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-35-3. TOLLE LEGE !



LEO LATINUS

**HANC EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM QUINTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Saturni, d.5. m.Mart. a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>